(16)

Dig. jurq. 87.

DISQVISITIO

DE

# STIPVLATIONE DAMNI INFECTI AEDIVM NOMINE INTERPOSITA

AD L. 24. §. 12. D. DE DAMNO INFECTO.

PARTICVLA POSTERIOR

QVA

DISPVTATIONEM INAVGVRALEM

PRAENOBILISSIMI AC DOCTISSIMI

CHRISTIANI LVDOVICI NEVBERI

VINARIENSIS

DE

VSVFRVCTVARIO AD TRIBVTA BELLI MODICA TANTVM OBLIGATO

D. XV. IVN. CIƆIƆCCIC. INSTITVENDAM

INDICIT

CAROL. FRIDERICVS WALCHIVS

IVRISCONSVLTORVM ORDINIS SENIOR ET H. T. DECANVS.

---

IENAE,

LITTERIS ETZDORFII ET SOC.

urn:nbn:de:urmel-19477f66-d39d-483e-86f0-bc26aee10451-00020940-14

urn:nbn:de:urmel-19477f66-d39d-483e-86f0-bc26aee10451-00020940-26

Quum Vlpianus in lege nostra a) varias attingit quaestiones, quas alii iurisconsulti de stipulatione damni infecti eiusque effectibus in medium protulerunt hancque in rem sententias Labeonis, Servii Sulpicii, Cassii ac Viviani recenset: ad quaestionem illam peruenit, num quisquam teneatur, si aperire velit in domo sua puteum hocque aperto, praecidantur venae putei vicini? hancque rem distinguendam esse censet. Haud certe quidem constat, utrum discrimen Trebatio Testae placuerit; an potius Vlpiano ac vltima legis verba huic; an illi sint tribuenda. Si ea Trebatio adscribimus, ipse iam quaestionem hanc distinctione decidendam statuit; vbi vero supponamus, Vlpianum potius memoratis verbis declarare voluisse, quatenus opinio Trebatii sit amplectenda ac regulae, a Trebatio prolatae, exceptionem subiicere: merito statuere potius oportet, solum Vlpianum huius distinctionis esse auctorem. Eo libentius illud adhuc incertum esse existimo, quum in codice Florentino distinctiones omissae sunt b) ideoque punctum, quod vltima verba ab antecedentibus separat, a recentioribus adiectum est eamdem ob rem hac in



a) L. 24. §. 12. D. de *damno infecto.*

b) Henr. Brencmannvs, *historia pandectarum, libr.* II. *cap.* 4. p. 131. Christ. Henr. Eckhardvs, *hermeneut. iuris,* libr. I. cap. II. §. 72.

in re fidem haud facit; nihilotamen minus probabile eſt, verba tantum priora eſſe Trebatii; reliqua vero ab VLPIANO eſſe adiecta, quum haud relatiue, vti antecedentia, proponuntur; hoc autem ſine dubio factum fuiſſet, ſi quoque his ſolum exponere voluiſſet, quid Trebatius ſentiret.

Sed haud intereſt, vtrum VLPIANVS, quod iam tradit, ipſe excogitauerit; an potius factum ſit a TREBATIO ac ſolum ab Vlpiano repetitum. Secundum ea vel minimum diſtinguendum eſt, vtrum vicinus, puteum aperiundo tam alto foderit, ut paries alterius vicini ſtare non poſſit; an huic per id haud nocuerit. Poſterius ſi locum habet, ad praeciſionem venarum haud reſpicitur; neque eo nomine is, qui puteum aperuit, eius a vicino conveniri poteſt. Quum eius rei rationem in eo veteres iurisconſulti ponunt, quod quis, dum puteum in fundo ſuo aperit, iure ſuo vtatur, vti copioſius exponit IAC. GOTHOFREDVS, c) queri haud poteſt vicinus, praeciſas eſſe venas putei ſeque hoc modo privatum eſſe aqua; longe aliter vero res ſe habet, vbi tam alte fodit vicinus, vt alterius vicini paries ſtare haud poſſit; ſed corruat: *Si tamen tam alte fodiam in meo*, inquit VLPIANVS, *vt paries tuus ſtare non poſſit*, damni infecti ſtipulatis committetur. Secundum loquendi formulam de ſtipulatione vſitatam, d) nihil aliud per id ſignificat, quam quod

c) de *diuerſis regulis iuris antiqui* in eius *operibus minoribus*, p. 883.

d) L. 29. D. *de negot. geſtis* L. 63. D. *de verbor. obligation.* L. 13. D. *Si quis caut.* L. 14. D. *de procurat.* L. 64. §. 1. D. *de iudiciis.* L. 24. et ſq. D. *de condition. et demonſtrat.* L. 3. *pr.* et L. 9. L. 5. §. 2. et 3. L. 7. 9. 13. §. 1. L. 20. D. *iudic. ſolv.* L. 11. D. *de damno infect.* L. 1. et 75. D. ad *legem Falcidiam:* L. 1. D. *vt in poſſeſ. leg.* L. 63. et 81. D. *de verbor. obligat.* L. 33. D. *de fideiuſſor.*

quod is, qui puteum hoc modo aperit, parietis nomine, qui iam non ſtat, eius dominum indemnem praeſtare debeat. Rationem, cur hoc ſtatuat, haud reddit; eo magis tamen illud optandum fuiſſet, quum ſi alter, cuius praeciſas eſſe conſtat venas putei ipſius, damnum ſibi eſſe illatum, adfirmare nequeat, eadem exratione ob parietem, cui ſit nocitum, haud ipſi ſit metuenda actio *e)* atque VLPIVS MARCELLVS eam potius concedit, ſi aperitur puteus animo nocendi; neque eum in finem, vt agrum meliorem reddat. Illam tunc locum habere exiſtimat, ſi quoque parieti alteri non nocuerit; quid vero obtineat, vbi illud eueniat, haud addit. Vbi itaque generatim liceat cuidam puteum aperire, vt venae praecidantur putei alterius vicini, ſi animus ipſi nocendi deficit, ratio ceſſare videtur, cur ſtipulatio commiſſa ſit cenſenda, ſi quis dum aperit puteum efficit, vt paries aedium vicini ſtare nequeat. Vel minimum haud neceſſe eſt, vt animum nocendi ei, qui puteum aperit, tribuamus, ſi eum ita fodit, vt paries collabatur; eodem autem modo iure ſuo quisquam vti videtur, ſi quis ita puteum aperit, vt alterius parieti ſimul noceat, hocque nomine ipſi non imputandum eſt, vbi paries eius hoc facto ſtare nequeat. Neque antiquiorum interpretum ſeu gloſſatorum ſcholae; neque recentiores auſi ſunt hac de re quidquam proferre atque eruere, quanam ex ratione aliud ſit cenſendum, vbi aperiundo puteum parieti ſit nocitum, aliud, ſi illaeſus manſit. Neque minus iurisconſulti Lipſienſes *f)* illud prorſus ſilentio praetermittunt,



*e)* L. 1. §. 12. D. de *aqua et aquae pluv. arcendae.*

*f)* apud *HOMMELIVM*, in *rhapſodia quaeſtionum*, *obſ.* CCXXXI. vol. 1. p. 275.

tunt, licet ipſis ſuppeditata fuerit occaſio, virium ſuarum periculum faciendi ac coniecturam proferendi de vera ac genuina cauſſa diſtinctionis, quae in noſtra adhibetur lege; verum tamen haud difficile eſt illam indagare, ſi ad discrimen inter puteum ac parietem domus reſpicimus ac conſideramus, aedes quidem ſine puteo, minime vero ſine pariete conſiſtere poſſe. Etſi itaque vicinus haud queri poſſit praeciſas eſſe venas ab altero, quum iure ſuo utitur atque in fundo ſuo puteum aperit: non tamen pati debet, ut is, qui aperit puteum, dum hoc faciat, noceat parieti ſuo; neque iſte amplius ſtare poſſit. Quum praeſertim imperatores proſpicere ſolerent, ne vrbs ruinis aedium difformaretur g) immo Romani antiquiori tempore clare exhiberent documenta, laudabilis huius curae per ea, quae de tigno iuncto ab ipſis ſancita ſunt, h) ſine dubio quoque illius rationem habuit VLPIANVS, dum vicino facultatem, effodiendo venas putei alterius parieti nocendi, denegaret.

Venim enim vero iam ad principem huius commentationis partem accedo ac pro muneris ratione, quo iam fungor, actum illum ſolemnem indico, quo

praenobiliſſimus ac doctiſſimus candidatus,

*CHRISTIANVS LVDOVICVS NEVBERVS.*

ad ſummos in iure honores, ipſi ab illuſtri iurisconſultorum ordine decretos, viam ſibi parabit. Vt hac in re iis, quae

g) L. 52. §. 10. D. *pro ſocio:* L. 1. D. *in quib. cauſſis pignus* ac L. 24. §. 1. D. *de rebus auctor. iud. poſſidendes.*

h) reſpicio hoc loco inprimis ad ſatis famoſam legem decemviralem de tigno iuncto, cuius mentionem fieri conſtat a FESTO in vocab. *tignum:* L. 38. D. *de ſolut.* L. 23. §. 6. b. *de R. V.* L. 1. D. *de tigno iuncto.* L. 62. et 235. D. *de V. S.* ac L. 6. D. *ad exhibendum.*

quae in ſtatutis noſtris ſunt ſancita atque a maioribus noſtris ſint introducta, morem geram iure ac merito commendandum candidatum cenſeo, ſi, qua ratione litteris ſeſe conſecraverit ac in primis legitimis diſciplinis operam navaverit, iis verbis deſcribam, quibus eamdem ordini noſtro indicavit:

*Ego* CHRISTIANVS LVDOVICVS NEVBER *Osmanſtatio-Vinarienſis, natus ſum die VI. Febr. anni* MDCCLXXV. *Patrem, verbi divini miniſtrum,* IOANNEM GEORGIVM NEVBER, *virum integerrimum optimumque, prima pueritia morte mihi ereptum adhuc lugeo, matrem vero, maximopere mihi caram,* IOANNAM ELEONORAM *e gente* CREVTZBVRGIANA *originem trahentem, Deus T. O. M. ſuperſtitem adhuc voluit. Qui cariſſimi parentes nihil magis in votis habebant, quam ut tenerrima jam aetate tam praeceptis religionis, quam omnibus reliquis ſtudiis, iuventutem quae ornant et ad altiora ducunt, inſtruerer. Quem finem ut attingerent, copiam mihi fecerunt Gymnaſium quod Vinariae floret, frequentandi. Inclyti huius gymnaſii praeceptores, Quartus* SCHWABIVS, *Conrector* SCHWABIVS, *Profeſſor* KAESTNER *et Director* BOETTIGER, *omnem, quam poterant, nauarunt operam, vt praeceptis ſuis ſaluberrimis doctisquae virum bonum me efficerent, nec omnis eruditionis expertem. Tandem patrias ſcholas relinquens anno* MDCCVC *in hanc academiam me contuli, Iurisprudentiae operam daturus, ibique ab Ill.* VOIGT, *qui tunc temporis fasces tenebat academicos in album relatus academiae, ſubſequentium Illuſtrium ac Excellentiſſimorum Virorum interfui praelectionibus: Cel.* FICHTII *ad Logicam et Metaphyſicam nec non ad praecepta et Iuris Naturae;* REICHARDTI *ad Inſtitutiones cum Iuris Civilis tum Criminalis et ad Pandectas; Perill. ab* ECKARDTI *ad digeſta Ill.* WOLTMANNI *ad Hiſtoriam Univerſalem et Particularem Ill.* HEINRICHII *ad Hiſtoriam noſtri Imperii. In Iure Publico vero et Iure Feudali nec non Canonico Ill.* SCHNAVBERTVM *ſecutus ſum. At vero Iuris Germanici nec non Hiſtoriae*

*Iuris*

*Iuris initia apud Ill.* HVFELANDIVM *audivi; exercitiis autem practicis Cel.* VOELKERI *non ſine maxima animi laetitia ſemper interfui. — Quorum modo dictorum Doctorum Illuſtrium, Excellentiſſimorum Praeſtantiſſimorumque, qui huic almae Muſarum ſedi perpetuo erunt ornamento, ſingularia in me profuſa merita, pia ſemper conſervabo memoria, quum mihi in addiſcendis omnium, quae mihi neceſſariae et utiles viſae ſunt ſcientiarum principiis, ſatis amplam fecerunt copiam. Abſolutis denique, quantum ſatis erat, hisce ſtudiorum meorum conatibus Illuſtrem Iurisconſultorum Ordinem ea, qua par eſt obſervantia, adii, ut et ſummos in utroque jure honores mihi deferret, quos quoque Illuſtris Ordo cujus pro inſigni benevolentia ac humanitate nunquam non me profitebor maximopere obſtrictum, benigne decernere non eſt dedignatus.*

In curſu, quem ingreſſus eſt, feliciter ad metam peruenit. In utroque examine, cui ſe ſubmiſit, ordini noſtro ita ſatis fecit, ut haud dubitaret ſummos, quos petiit honores, decernere, ac cathedram aperire, vt conflictum publicum, ſine praeſide, iniret atque in illo diſputationem ſuam inauguralem, *de vſufructuario ad tributa belli modica tantum obligato*, contra argumenta a litteratiſſimis viris proferenda defenderet. Deſtinatus eſt huic ſollemnitati craſtinus dies; ego vero MAGNIFICVM ACADEMIAE PRORECTOREM, ILLVSTRISSIMVM S. R. I. COMITEM, PATRES ACADEMIAE VENERANDOS, HOSPITES OMNIVM ORDINVM HONORATISSIMOS NEQVE MINVS GENEROSISSIMOS AC NOBILISSIMOS COMMILITONES meo meique ordinis nomine rogo, vt benigne comparere atque actum hunc praeſentia ſua condecorare velint. P. P. ſub ſigillo facultatis d. XIV. Iun. anno poſt reparatam ſalutem cIↃIↃccxcviiii.

L. S.

urn:nbn:de:urmel-19477f66-d39d-483e-86f0-bc26aee10451-00020940-85